



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

8. Januarij. Non potest fieri quid dignum Deo, quin vel mundus tumultuetur, vel infernus turbas creat. S. Ignat. apud Nolar.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

versus rationem, & sanctiores affectus insurgit, & nativo pondere ad ima retrahit, Resolutione opus est, ut ex toto in spiritualem convertatur.

8. Januarij.

Non potest fieri quid dignum Deo, quin vel mundus tumultuetur, vel infernus turbas creat. S. Ignat. apud Nolar.

Semper infestæ luci sunt tenebræ, nec bonos inter & malos firma coalescit amicitia, Ut vermis fructus magis maturos, ita malitia eos plerumque arrodit acerbius, qui meliores.

Certum bonitatis indicium est, malis displicuisse; vituperium foret à talibus amari, & commendari. Nihil pensi habe, si de te ii loquantur malè, qui nihil faciunt bene.

Nec censeri debet malum, unde meliores fimus. Cos ista virtutis est. Non parùm juvant mali probos, dum persequuntur; augment patientiam, merita cumulant.

Quid times? nec mundus, nec infernus totus quidquam in te possunt! ubi plura sunt obstacula, ibi abundantior est Dei gra-

gratia. Tu contra audentior ito. Victoriæ
 occasionem arripe, Triumpho materia est.
 Hæc fortitudo tua campum nacta est, quæ
 sine hoste in gloria latuisset.

9. Januarij.

*Multò ardentius insistendum homini in teo-
 riori domando, quàm corpori, & fran-
 gendis animi motibus, quàm ossibus.*
 S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 12.

INeruditum vulgus, quod ultra corticem
 nihil videt, nec medullam attendit, ab
 externo, qui sub oculos cadit, rigore me-
 titur sanctitatem: quasi verò sub fune, sub
 tegete arrogans mens latere non possit.
 Quid juvat abstinere à carnibus, & famam
 alienam arrodere?

Quod Deo placet, internum est: exter-
 na, nisi vim ab interno accipiant, Deum
 non movent. Illa plus arrogantia habent,
 ista plus meriti. Cædes boum, vel cor-
 poris laniena, quid meretur? si passio vi-
 vat.

Satis corpori provides, si animo bene sit
 consultum. Non ex corpore bono bonus
 animus, sed ex bono animo bonum cor-
 pus.